



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 151. Retius Marescallus ob sua crimina laqueo suspensus, ac
combustus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

§. CLI.

A. C. 1440.

*Retius Marefcallus ob sua crimina laqueo suspensus, ac combustus.**Joan.
Chart. l. c.
p. 106.
Argentre
l. II. c. 27.
Monstrelet.
vol. 2.*

Ad eundem annum Joannes Charterius refert supplicium Ægidii Lavilli, Retii Optimatis, & Franciæ Marefcalli, quem Britanniæ Dux comprehendi, ac capitali sententia apud Nannetes damnatum laqueo strangulari, & comburi jussit. Hic ex illustrissima quidem Franciæ familia ortus, generis tamen sui claritatem turpiter morum pravitate obscuravit, cum adeo perversis aberrantis animi delirio sese abduci pateretur, ut ad quævis mala projectus, in horrenda prorsus scelera contra fidei, ac Religionis leges, imo contra ipsius naturæ præscripta prolapsus fuerit. Nutriebat ad effodiendos thesauros Magorum turmas, pueros & adolescentulas libidine polluebat, quos expleto crimine immaniter trucidavit, eorum sanguinem collecturus, quem conscientis suis sortilegiis necessarium, aptumque censebat. Nefandæ hujus, & publicæ cum offensione transactæ vitæ fama adeo percrebuit, ut tandem ad tribunal deferretur. Quapropter Nannectensis Episcopus adversus accusatum judicii acta instruxit: cum vero causa mixti esset fori, Senescallus quoque Rhedonensis Provinciæ Prætor judicio interfuit, a quibus Mare-

Marescallus ad Rogum in Nannetensi praesecul. XV.
 to sustinendum damnatus est. Ipse quo- A. C. 1440.
 que Britanniae Dux illius supplicio praesens
 aderat, qui sententiae severitatem
 mitigaturus, benigne concessit, ut capitali
 palo alligatus prius strangularetur, & eo-
 dem momento igne pedibus admoto
 combureretur; quo factum, ut corpus
 ejus flammis nonnisi leviter correptum
 terrae mandari potuerit. Ex criminalis
 sententiae tabulis dispicimus, Marescal-
 lum laesae Majestatis crimini in Britanniae
 Ducem perpetrato obnoxium fuisse: hinc
 forte, si conjecturae locus est, haud in-
 grata fuit data Duci occasio, ut Dei of-
 fensam vindicando, suum quoque hono-
 rem ab eodem laesum ulcisceretur.

Sub idem tempus Galliarum Rex,
 postquam Luparias, & Conchum Nor-
 maniae urbes operibus, munitionibusque
 firmari jusserat, regiminis sui curas ad
 Campaniae Provinciam extendit, eamque
 peragravit, effraeni militum licentiae, qua
 Regnum ubique affligebatur, opportuno
 remedio occursurus. Bari ad Abulam
 Nothum Borbonium de iniqua pecunia-
 rum exactione convictum extremo suppli-
 cio mulctari jussit, pluresque belli Tribunos,
 ac urbium Praefectos ob malam rei ad-
 ministrationem suis officiis, atque Magi-
 stratu exuit, praecipitque, ut deinceps
 omnes militum cohortes intra urbium,

Sæcul. XV.
A. C. 1440

vel arcium moenia morarentur, atque festiva haberent. Ne vero milites raptore vere, ac populares vexis premere cogentur, pro numerandis eorum stipendiis quædam imposuit tributa, ac quamcumque vastationem inferre prohibuit sancta ad terrorem aliorum corporali poena transgressoribus infligenda. Carolus VII. teste Joanne Charterio, primus Regum Galliæ fuit, qui oppidanis & rusticis tributa indixit in subsidium exercituum pendenda, ne milites ad deprædandas regiones excurrere cogentur.

Hist. Caroli VII. p. 109.

§. CLII.

Nicolai de Clemangiis obitus.

Dupin. Biblioth. Script. to. 12. in 4to. p. 78. & seq.

Gallia hoc anno amisit Scriptorem longe celeberrimum, scilicet Nicolaum Clemangium seu de Clamengiis, qui sic a quodam Cabillonensis Diœcesis oppido dicebatur. Hujus Viri mentionem habuimus in Constantiensis Concilii historia. Vix duodecimum ætatis annum expleverat, cum Lutetias Parisiorum ad Navarræ Collegium mitteretur, animum humanioribus literis exculturus, quarum præcepta ex ore Joannis Gersonii, Petri de Nogent, & Gerardi Macheti hauserat, ac Eloquentiæ, & Poeticæ artis elegantiam, atque perfectionem rara ingenii sui acie exhaustisse videbatur. Hac merito-
rum